

5098. Med.

4^o Med.
5098

VÆSTIONES CARDINALES

MEDICÆ,

pro supremo in arte gradu consequendo,
proposita ab illustrissimis Professoribus Regiis

DOM. D. IOANNE VARANDEO,
Regiæ Majestatis Consiliario,
& Monspelienfis Academiæ Decano;

ET

DOM. D. IACOBO PRADILLEO,

eiusdem Regiæ Maiestatis Consiliario ac Medico:

pro quibus (Dei Opt. Max. summi Archiatri auxilio) in Aula Regiâ

Medicorum Monspelienfium disputabit triduo continuo,

diebus 17. 18. 19. Decemb. 1609.

horis matutinis & pomeridianis,

M. ABRAHAMVS BOXBARTER, AVGVSTANVS,

Medicina Licentiatus.



Ex Typograph. Ant. Cand.

40
Bibl.
Med.
5098

234013AVO
I.
QVÆSTIO CARDINALIS.

An puerperii pleuritide correptis Vena se Xio conueniat?

AFFECTVS communiter diuiduntur in internos & externos. Horum quia facilis cognitio, facilis quoque est curatio. At illorum difficilior est sanatio: nam & difficilior cognitio. Quare externi vulgaribus atq; vltatis remediis plerumque cedunt: interiores verò periti artificis opem requirunt. Hâc difficultatem potissimum parit signorum incertitudo & fallacia, propter quam factum existimamus, vt ars Medica coniecturalis, uique opt. Medicus dictus fuerit, qui optimè coniectari possit. Etsi verò pleraque signa diagnostica, incerta dubiaque sunt, quæ plurimum tamen indicant, tam certa perpetuaque existunt, vt Gal. alique post eum aures pro τεκμηρίοις ea habuerint, atque *συνδεδειγμένα* appellauerint. Quotiescunque enim horum *συνδεδειγμένα* conspiciamus, indubiè pleuritim adesse pronunciamus. Horum verò quinque, potissimum recensentur, febris, dolor pungens, tussis, respiratio difficilis, & pulsus in vno ictu inæqualis, qui peculiari nomine serratilis dicitur. Ex quibus tanquam perpetuis & essentialibus, definitur pleuritis, dolor lateris pungens, cum febre acuta, tussi, respiratione difficili, & pulsu inæquali coniunctus, à succingentis membrana inflammatione ortus. Diuiditur illa in genuinam & spuriam. Genuina ea est, cum membrana succingens *ιδιοπαθητικός* & primario afficitur; spuria verò quando per consentum. Sunt verò & aliæ differentia. Nam à specie affectus *πλεγματικός*, aut *ερόσπιτικός* dicitur: à materia flatuosa siue humoralis, eaq; rursus sanguinea, biliosa, pituitosa, siue melâcholica: à sede affecta, interna vel externa, superior aut inferior: à more *διδνη* aut pestilens: ab adiunctis, sicca vel humida. Cause, vel externe sunt, vel interne. Interne, plethora vel cacochymia, eaq; rursus vel partis vel totius. Externæ, res non naturales, quæcunq; quoquo modo has progenerant aut commouent: Victus plenior aut deterior, crapula atque vino-
len

lencia, frigide potus, tempeftas Aquilonia, ietus, curfus, balnee,
 animi excandefcentia. Proxima, quemadmodum & ceterarum
 inflammationum, eft humoris ad partem attractio vel tranf-
 miffio, eaque vel repente facta, aut per *συνάφρσις μιν* ob partis
 imbecillitatem coadceruata.

Ad prognostica quod attinet, in genere acutorum incerta
 sunt predictiones aut salutis aut mortis: in specie vero pleuri-
 tis vnaquæq; est periculosa: magis tamen exquisita quam spu-
 ria. In hac enim omnia sunt leuiora atq; mitiora. Malum etiam
 portendit, aut omnino nihil, aut rotunda vel sincera expuere.
 Porro leuius hunc affectum ferunt, quorum sexui aut ætati is
 est congener, vt mares ac iuuenes: fœminæ vero cū rarius hoc
 morbo laborent, grauius etiam periclitantur. Quod si idem
 ex errore in partu commissio, aut retentis lochis eueniat, tanto
 erit grauior ac periculosior, quanto illæ debiliores, & ad me-
 dicamentorum vsum ineptiores existunt. Quare, cum morbus
 ille magnus sit, extremos labores habet, statimque ad extrema
 remedia est deueniendum. Huiusmodi in hoc affectu duo oc-
 currunt, Venæ sectio, & purgatio. Hanc posteriorem, in bilio-
 sa, præsertim ac pituitosa pleuritide, nonnulli maximè extol-
 lunt: Hippocr. exemplo adducti, qui in dolore ad hypochon-
 dria vergente, pepilio purgavit. Nobis tamen potius aridet
 Gal. sententia, qui in maximis doloribus atq; inflammationib.
 nullum præstantius aut nobilius remedium sanguinis detra-
 ctione se nouisse testatur: cum si quis qua inflammantur, ini-
 tio statim medicamentis soltere conetur, non solum ab in-
 flammata parte nihil adimat, sed & febrem adaugeat, & par-
 tes sanas consumat, atque tabefaciat. Vnde sanguinis missio in
 pleuritide, veluti tutissimum atq; præsentissimum remedium
 à plerisque hodie recipitur. Quod quidem, etsi ita est, in puer-
 peris tamen hoc tentare, non solum difficile videtur, sed om-
 nino etiam temerarium. Et si enim morbi species & vehemen-
 tia id indicent, iuber tamen perpetuo Gal. ad id respiciendum
 esse, quantum vires valeant, quas in puerperis labor antegres-
 sus, & quotidiana solennisque expurgatio, vnà cum morbo

plurimum necesse est vt debilitarint. Ceterum in hoc vulgatum illud axioma Medicum sequendum ducimus; vbi diuersa indicationes sese offerunt, tantum vni esse tribuendum, alteram vt ne omnino negligas. Cum igitur in hoc praesidio vnica aegrotantis salus consistere videatur, atq; in extremis morbis anceps potius quam nullum remedium experiendum sit, habita & virium ac morbi ratione, puerperis quoque sanguis mitti potest: audacius quidem atq; copiosius, si suppressa fuerit solennis vacuatio, parcius vero & per *ἄμεινον*, si fluxerit. Ita enim futurum erit, vt materia ab affecta parte reuellatur, febris incendium mitigetur, & natura subleuata, quod reliquum est facilius superet, atque vnà cum Medico morbum alacrius oppugnet. Quare in hoc dubio pronunciamus,

Puerperis quoque pleuritide correptis Vena sectionem conuenire.

II.

QVÆSTIO CARDINALIS.

An coctionis signa sine in omnibus humoribus purgandis expectanda?

HIPPOCRATES in suo quem describit Medico in iudicando *ἀγχινοίαν* & solertiam, in agendo vero prudentiam præ ceteris requirit. Cum enim vel leuissimus error maximum aegrotanti periculum adferre soleat, summo opere studendum erit Medico, ne quid temerè præterque rationem faciat. Quod quidem etsi in agendis faciendisque seruare diligenter oportet; in educendis certè cum primis videtur esse necessarium; cum secundum Hip. turpis admodum calamitas sit *Φόβου καὶ δόξια ἀνθ' ἑσώπ' ἔπιπλενα*. Cum autem variæ materiam educendi viæ sint, communissima tamen atque vsitatissima ea est, quam *καὶ ἐξελω* purgationem appellamus. Ea vero est humoris, siue quantitate, siue qualitate noxij è corpore humano per medicamentum assumptum eductio. Indicatur illa secundum Gal. plerumque à Cacochymia, nonnunquam tamen & à sola copia. Vnde neque solum, neque perpetuum purgatio est Cacochymia remedium; cum ea vel victus ratione, vel aliis interdum soleat emendari atque corrigi. Quod si verò cum
hum

humorum vitio, morbi vehementia coniuncta fuerit, aut brevi tempore subsequutura videatur, purgationem recte prescribimus, cum non minus *προφυλακτικόν* quam *θεραπευτικόν* remedium illa existat. Erit igitur ex Caco-chymia magnitudo morbi primarius purgationis scopus, quia perpetuo eam indicat: reliqui vero secundarii, quod illam tantum permittant, aut quantitate definiant, ex sese autem nihil indicent; quare ab Authoribus *σύνενδεικνύμενοι* appellantur. Ceterum ut purgatio recte succedat, præter hos scopos iubet Hipp. etiam *οὐκ εἶναι θαίρειν* perpendere, cum Galen. teste, aliis pituitam, aliis bilem flauam aut nigram, quibusdam vero serosam substantiam detrachere conueniat. Quin ut rectius ac felicius purgatio procedat, tum agrotantium corpora, tum humores præparare atque idonea reddere docet, & crassos, si qui sint, succos extenuare, atque habitum rarefacere. Vnde & Hip. cocta, non cruda medicanda esse præcepit. Cum vero humores secundum variam eorum naturam variè ad coctionem sese habeant, hinc maxima difficillimæque orta est dubitatio, Vtrum in omnibus humoribus expurgandis expectanda sit concoctio, de qua paucis agere hoc loco nobis est propositum.

Manifesta Hip. contradictio de purgationum temporibus, multum ac variè authorum ingenia torfit, eorumque animos in diuersas sententias distraxit. Alij enim qui *τὸ Πέπον φαρμακένον* vrgent, nunquam ante humorum concoctionem expurgant, piaculum existimantes, Naturam, ut ipsi aiunt à concoctione reuocare, atque eius opus interrompere. Horum tamen iudicio si standum sit; nunquam in morbis purgandum erit, cum neque in principio, neque augmento materia concocta sit: in statu autem in quo omnia grauissima; & post eum, quia iudicata finire oportet, purgatio minimè conducatur. Alij contra, nulla temporis aut humorum ratione habita, in quouis morbo tunc euacuant, quando præcipui purgationis scopi apparent. At Hipp. *ἐν ταῖς νέεσσι*, ut felicius æger eas toleret, ad regionem quoque & tempus & ætatem respicere iubet. Non desunt, qui & in principio purgationem adhibent, modo

προφυλακτικόν: ὅταν ἔσται, ἀνακαταστατικόν, ἀνακαταστατικόν
 ΠΙΠΟ

6
coctionis signa aliqua appareant, Hipp. auctoritate nixi, qui 4.
Acut. quib. in principio vrinæ nebulosæ & crassæ, purgandos
esse iubet. Illis tamen Gal. aduersatur, qui humores in corpo-
ris aliqua parte hærentes, nullo auxilio aut medicamento mo-
uendos asserit, priusquam fuerint concocti. Vrinam verò cras-
sam obscuræ tantum, atq; imperfectæ coctionis signum idem
esse asserit. Alij deniq; distinctione inter purgantia adhibita,
leuia, seu (vt vocant) benedicta tantum ante coctionem conce-
dunt; vehementia autem prohibent: quasi ipse Hip. in morbo-
rum initiis non vsus fuisset peplo & scammeo, medica-
mentis validissimis. Ex his igitur difficultatib. vt emergamus,
pro dubij huius solutione tria cõsideranda esse dicimus, Mor-
bos *εὐσπιδεῖς*, eorum causas & symptomata. Cum enim morbi
vel acuti sint, vel chronici; in acutis inter initia purgare iubet
Hipp. quamuis eo tempore omnia cruda existant. Ad morbi
verò causam quod attinet, ab ea quoq; distinctio desumi po-
test. Cum enim per modum recipientis fiat actio, facilius is
humor coqui potest, qui calori minus resistit. Minus verò resi-
stit, paucus quã multus, crassus quã tenuis, benignus quã pesti-
lens ac putridus. Quare in illis coctio erit expectanda: in his
verò ne malum ingrauescat, & purgandi occasio prætereat,
morbo quam citissimè purgatione obuiam eundum. Nam que
actui iam putruerunt, Gal. sumpto à pomis putrescentib. exem-
plo, resecari atque vacuari iubet, reliqua verò alterari. Porro
quia Symptomatum ea vis est, vt spreta neglectaque vsitata
methodo, ad sese omnem curationem pertrahant; in Cardial-
gia aut Syncope, ceterisq; accidentibus, vbi merus est ne eger
prius succumbat, quã materia coquatur, & ad statum mor-
bus perueniat, inter initia purgare licet. Adde quod in humo-
rum *ορυδαμω*, quocunq; tempore is fuerit, materia statim est
euacuanda, antequam in partem principem irruat. Atque ad
hæc videtur respexisse Hip. dum in principiis, si quid mouen-
dum videtur, mouere iussit. In reliquis enim & ipsi coctionem
expectare tutius ac melius existimamus. Quare cum purgatio
alia sit reuulsoria, alia ordinaria, alia *εὐμεθόδου*: hæc quidem
omn

239

7

omni morborum tempore, dum necessitas vrget: prior verò tantum in principio; at media, coctionis signis apparentibus adhiberi debet, pro varia Medici intentione. Vnde nihil obstante Hipp. sententia, quæ veritate Aphoristica *ὅς ὄντι το πολὺ*, nihilominus est verissima, concludimus

Signa coctionis non in omnibus humoribus expurgandis esse expectanda.

III.

QVÆSTIO CARDINALIS.

*An oleum, vinum, succus limonum & absinthij lumbricis enecandis
sint idoneæ*

GIGNUNTUR ex putredine animalia, non in imperfecte tantum mixtis ac plantis, verum in ipsis etiam animalibus, certisque eorum partibus. Nam & in fornacibus metallicis fiunt culices, & in Cypri arariis vermes volatiles; in plantis eruce ac teredines; in animantibus vermes oriuntur ac pediculi, tanto interdum prouentu ac copia, vt nonnullos aliquando interemerint, quemadmodum narrant Historici, atque ipsæ attestantur Sacræ literæ. Horum alia in cute tantum degunt, vt pediculi: alia in ipsa carne ac musculis hærent, vt dracunculi: alia in corporis internis cavitatibus nascuntur, vt lumbrici. Et si verò neque ipsi certum generationis locum obtinent, plerumq; tamen in intestinis illos exoriri obseruatum est. Horum tria ab auctoribus recensentur genera, forma ac loco à se mutuo distincta. Quæ enim in tenuioribus intestinis fiunt, tereti figura *ἐλμινθες τρογυλοιοι* dicuntur: qui in recti extremitate stabulantur, *ἀσκαρίδες* vocantur: qui verò per tota intestina nonnunquam extenduntur, *καρίαι* appellantur. Nascitur hæc pestis ex materia potissimum crassa, ac pituitosa, in intestinis putrescente, minime ex biliosa siue melancholica, præsertim sincera atq; impermixta. Efficiens est caliditas natiua vel extranea, vel vtraque simul; ita vt hæc materiam disponat, illa verò eam efformet. Causæ mediata sunt, quæcunque cruditates gignunt & sanguinem serosiores efficiunt: olera omnia ac legumina, fructus *ὄραίνι*, lactinia, &c. Non parum ad horum

generationem quoque faciunt temperamenta humida; unde
 inter ætates senes ac pueri, inter sexus fœminæ hinc malo po-
 tissimum sunt obnoxia. Quod ad anni tempora, autumnus
 sunt maximè, vt vel ideò rectè *Συεωδης* Hip. dictus fuerit. Si-
 gna vel propria sunt, vel communia. Ex his sunt mentis sen-
 suumq; perturbatio & inconstantia, delirium, inquietudo, vo-
 cis interruptio, dentium stridor, iracundia, alui durities, sitis,
 oris fœtor, nausea & ventris extumescencia. In Ascaride pruri-
 tus circa anum atque egerendi continua cupiditas. In lato,
βελιμία, corporis extenuatio, Cardialgia, excrementa cucurbitæ
 semen referentia. Rotundum si magna fuerit putredo, comita-
 tur febris maligna, frigus extremorum, respirandi difficultas,
 russis sicca, syncope, conuulsio. Si ad ventriculum ascendat,
 dolor acutus atq; permutabilis, labiorum tremor, nausea, &c.
 Omnium communis indicatio, eius quod præter naturam est,
 ablatio. Quia verò vermes motu suo maximè molesti sunt, at-
 que expulsionioni resistunt, præcedat necessè est ipsorum inter-
 necio. Vtrumque præstant medicamenta amara, salsa, acria, &
 incidentia, quemadmodum & acida, oleosa atque adstringen-
 tia. Si enim orta principis attestari verum est, & similia simi-
 libus nutrirî atq; delectari; vermes, qui ex putredine orti sunt,
 putrido alimento nutrientur: (vnde Auic. interanea illa ani-
 malia à sagaci natura prouidâque ideo produci existimauit, vt
 putrem ac noxiam materiam, quæ grauem noxam animanti al-
 latura esset, traherent atque absumerent.) Quod si in corpore
 tale non inuenient, contabescunt, aut à contrario corrupen-
 tur; corrupti naturæ beneficio, aut medicamenti ope facile
 efficiuntur. Ceterum ad perfectam curationem minimè suffi-
 cit, morbum præsentem tollere, nisi causam simul auferas, atq;
 omnem fomitem extinguas. Quare coctio quoque erit adiu-
 uanda, ventriculus atque intestina roboranda, aluus lenienda,
 atque omnis putredo diligenter arcenda. Inter ea verò quæ
 coctionem promouent & ventriculo amica sunt, vinum, ad-
 stringens præsertim atque subausterum; vt alimentum ac me-
 dicamentum præcipuum locum obtinet. Ad aluum verò le-
 niend

240

niendam, præterquam quod Philosopho teste, oleosa omnia infectis sunt inimicissima, oleum potissimum valet. Huc accedit, quod succus limonum & absinthij putredini mirificè resistunt, suâque aciditate atque amaritie lumbricis sunt omninò aduersarij. Quibus ita se habentibus, concludo tum ad præseruationem, tum ad expulsionem lumbricorum

Oleum, vinum, succum limonum & absinthij idonea esse.

IV.

QVÆSTIO CARDINALIS.

An febricitantibus oua concedenda?

TRIPLEX nostri corporis substantia, quia perpetuo diffluit, triplici quoque alimento quo restitueretur opus habuit. Quare sagax natura de animantium conseruatione perquam sollicita, appetitum ipsis indidit, vt eo veluti ductore atque monitore ad alimentum capiendum instigarentur. Vnde illa Medicinæ pars, quæ de victus ratione agit, ceteris non tantum dignior & antiquior, verum longè magis necessaria existit. Etsi enim, Plin. teste, Romani aliquot seculis absque Medicis fuerint, sine proba tamen rectèque viuendi lege (quam illos tenuisse antiqua ipsorum frugalitas testatur) eos vitam prorogasse, est omnino impossibile. Nam & in alimento, teste Hip. suum est medicamentum, neque minor in profligandis morbis quàm tuenda sanitate, victus rationi laus debetur. Cum verò victus communiter de omnib. rebus non naturalibus interdum dici soleat, propriè tamen & verè alimenta tantum complectitur. Est enim victus id quo viuimus. At quia varius est viuentium status & multiplex conditio, pro ipsius immutatione victus alius sanorù dicitur, alius ægrotantium, alius denique neutrorum. Sanum plerumque in plenum, *σιμμετρον*, & tenuem distinguunt. Sed Gal. hoc posterius diuisionis membrum refecat, cum tenuis victus in sanis corporibus perpetuo sit vitandus. Plenus vires adauget, quas conseruat modicus; quare is nature conseruandæ perquam est idoneus; ille contra admodum periculosus, quia *πᾶν τὸ πολὺ τῆ*

οὐ σὲ ὄσι πολέμιον. Sed cum sanitatis latitudo quam longissime
 se extendat; in sanorum victu diuidēdo non opus est vltiori
 ἀκρίβεια, tantum in illo perpetuò tenendum, vt victus ratio ca-
 lori nostro sit ἀνάλογος. Minutius tamen aegrotantium victus
 ratio discinditur. Cum enim & ipsa (suo tamen modo) plenior,
 media ac tenuis dicatur; tenuis rursus à Gal. in quatuor mem-
 bra subdiuiditur: in omnimodam ἀσπίαν, quā appellat victum
 exquisitè tenuissimum: in tenuissimum tantum, quando meli-
 crato ac sorbitionibus aeger vitur: in tenuem simpliciter, vbi
 prisana assumitur: & deniq; exactè tenuem quando eius quo-
 que quantitas minuitur. Quæ Gal. aliorumque differentia à
 recto vtendi modo desumptæ videntur: is verò tum in debita
 alimenti quantitate, tum proba eiusdem substantia consistit.
 Illud rursus prout aegre aut facile à calore nostro vincitur,
 εὐπέπλον aut δύσπεπλον dicitur: quatenus verò in corporis succū
 cōuertitur, εὐχυμον vel κακὸ χυμον, calidum aut frigidum, siccum
 aut humidum appellatur. Ex quibus alimentorum differentiis
 constat, cum corpora nostra secundum anni tempora, atates
 atque temperamēta variè affici mutarique soleant; vt victus
 ratio probè instituat, nunc hoc, nunc illo alimenti genere
 vtendum esse: quod quidem si in sanis adhuc locum habet, vt
 ad insueta paulatim fiat transitus; in aegrotis in quibus magna
 subitaque facta est mutatio, quam maximè videri esse neces-
 sarium. Porro in sanorum victu determinando duo occurrūt,
 vires ac temperamentum. Vires, vt conferuntur, alimentum
 εὐχρῶν desiderant: temperamentum verò cum similib. animal
 nutriatur, simile requirit. Hinc est quod Hip. humidū victum
 pueris præscribat. Secus se res habet in aegrotis. In his enim
 et si Virtus imbecillior alimentum copiosius exposcat; morbi
 tamen natura eiusdemque causa contrarium suadent. Quare
 eius quantitas imminuenda, & quantum à naturali temperie
 corpus deflexit, victus ad contraria mutandus. Ex quo factum
 fuit, vt cum ouorum vsus & sanis & egris valdè sit familiaris,
 vtpote ἀπίος & atque minima præparatione indigens, quasi-
 tum fuerit à Medicis, febricitantib. vtrum esset concedendus.

Oui nomen cum varia significet, & tam de piscium progenie, quam insectorum foetura dici solet, nos de eo tantum hic intelligimus, ex quo fit pullus. Hoc verò cū potestate sit animal, humidum necessario erit ac calidum: quare febris, quia febris, inimicum. Est enim febris intemperies calida: morbus verò à simili augetur, curatur autem per contraria. Sed nos ouum vt alimentum consideramus, qua ratione Gal. inter cibos *et 20^{us}* id reponit, & ad coctionem, digestionem ac nutritionem perquam commodum esse asserit. Quae alimenti virtutes cum non nisi optimo, hoc est, temperatissimo cōueniant, sequitur ouum naturae fore temperatae atque omnibus naturis & aetatibus familiare. Erit autem illud tanto perfectius & naturae nostrae accommodatius, quanto animal à quo exclusum fuit, naturae magis temperatae existit. Hinc quia galinarum caro homini est perquam vtile & amicum nutrimentum, oua quoque ipsorum foetus eidem erunt salutaria: atque inter ea ipsa secum collata, primam bonitatis laudem obtinebunt recētia. Et cum pro varia praeparatione, alimentum variè afficiatur, quia modica elixatione quam minimam alterationem sustinent, à bonitate sua nihil discedent. Quare tremula & sorbilia ceteris erunt anteponenda. Quae enim diutius coquuntur, dura coctūque difficilia euadunt, fixa rictus nidorosos & nauseam efficiunt. His positis, quando in febribus permitti possint, iam videbimus. Febris aut sola consideratur, aut cum sua causa ac Symptomatis. Si sola, cum victus humidus omnibus febricitantibus ex vltu sit, in ea oua maximè conuenient. Sin vt ex cruditate, siccitate, lassitudine, putredine, aut obstructione facta est, victus temperatus minimum nocebit. Quod si eadem virium imbecillitatem, syncopen, corporis extenuationem coniunctam habeat, oua ad vires restaurandas & ad habitum recuperandum plurimum cōferent: nisi morbus tam acutus fuerit, vt tenuem omnino atque exquisitam dietam requirat, in quo ipso tamen & consuetudini aliquid dandum. Quare cum oua boni succi existant, & facile à calore vincantur, egrè autem putrescant, & paucissima excrementa progignant, praeterque has virtutes al-

uum leniant, & vrinam prouocent, vt nonnullis & cibi & potus vicem supplere putentur, non absque ratione iudicamus

Ea febricitantibus fore concedenda.

THEOREMATA MEDICA.

Medicus est occasio inuentor ac minister.

Subiectum Medicina est homo.

Datur intemperies vnius qualitatis excessu.

Humidum innatum aquosius est in mulieribus quam in viris.

Datur spiritus naturalis.

Partes Organica à similibus non differunt figura, sed vsu.

Cor in medio thoracè situm est exactè.

Et tamen rectè sinistra mamilla apponuntur Epithemata.

Cordis pulsus magis ad vitam necessarius est quam respiratio.

Non tamen arteriarum pulsus magis quam illa est ad vitam necessarium.

Subiectum morbi est pars viuens.

Dolor est symptoma actionis laesa.

Viria & morbi à parentibus in liberos propagari solent.

Non item verò virtutes & scientia.

Sympathia fit aut ob loci viciniam, aut operis societatem, aut vasorum communicationem.

Triplici modo fit contagium, fomite, contactu, aut ad distans.

Ad hoc requiritur, putredo, lentor, symbolum & locus exhalationi idoneus.

Partium naturalium & venosi generis signa ex vrinis, sunt petenda.

Vitalium verò ex pulsibus.

Apoplexia fit ab obstructione ventriculorum cerebri.

Cibi fastidium dysenteria superueniens, malum.

Testes contracti in morbis signum est lethale.

Aqua elementum est & alimentum.

Ea sola quosdam vitam producere est possibile.

Ex vnico alimento in hepate eliciuntur quatuor succi specie distincti.

Qui lactantibus pueris, prater lac alios cibos statim offerunt, vermium & obstructionum causa illis existunt.

Medicamenta, nisi à Natura inuentur, inutilia existunt.

Purgantia trahunt humores, non pellunt.

Idque similitudine substantiæ.

Superstitiosum est, qui ob grauem morbum sanguinem misit, eodem recurrente anni tempore, nullo urgente affectu denuo mittere.

E N D O X A.

Anima an sit temperamentum?

Virum cerebrum sentiat?

Venena an nutrire possint?

Internæ animæ facultates vtrum sedibus disclusæ?

Senes an facîle ieiunium ferant?

*Adstringentia vtram facultatem magis roborent, expultricem, an verò re-
trahentem?*

Tenia vermis vtrum sit animal?

An actio aliqua ladi possit, instrumento illa so?

Epilepsia vtrum fiat ab obstructione?

An omnis hydrops à refrigerato hepate?

Aqua an nutriat?

Vinum an pleuriticis conueniat?

Ad valetudinem tuendam cereuisiæ an vini potus sit accommodatior?

Infantibus an sint exhibenda lacticia?

Caro suilla an temperatissima?

Vinum an nutricibus concedendum?

*An pulsologia à recentioribus inuenta pulsum naturam & Ideam verè
exprimant?*

Mors si tunc egroris prædicenda?

An pueris acuto morbo correptis, sanguis mittendus?

An in eisdem purgantia exhibenda?

*Recentis natis infantibus, vtrum ad siccandum cerebrum cauteria adhiben-
da?*

An Rhabbarbarum correctione opus habeat?

Idem vtrum rectè hepatis vita dicatur?

Idem an tostum dysentericis conueniat?

*An grauidis nullo acuto morbo correptis, αἷμα ἐκ τῆς ἐν τῷ σπλάχνῳ ἐκείνῳ, sanguis mit-
tendus?*

An perpetuo ante Venæ sectionem aluus lenienda?

An in febribus ardentibus Cassia exhibenda?

- An spiritus Vitrioli in febris concedendus?
 An pilularum ante cibum, creber usus sit salubris?
 Vtrum in Catharro conueniat frigida lotio?
 Tabaci fumus an Catarrhis competat?
 Vtrum in dysenteria per inferiora sit purgandum?
 Vtrum $\omega\alpha\pi\alpha\chi\acute{\epsilon}\nu\eta\sigma\iota\varsigma$ in umbilico tutior sit ea qua fit in abdomine?
 An hydropticis scrotum perforandum?
 An in febre alba, seu $\chi\lambda\omega\rho\acute{\alpha}\sigma\epsilon\iota$ virginum Crocus Martis Chymistarum exhibendus?
 Vtrum in affe^{ct}ibus melancholicis, sit vrendum diureticis?
 An pustula in variolis aperienda?
 An Cantharides tuid per os a summi queant?
 An in renum vesicae morbis diureticis vrendum?
 Hystericis tempore paroxysmi, an Cauteria admouenda?

 P A R A D O X A .

- Temperatus non edit actiones perfectissimas.
 Idem tamen magis resistit omnibus morbis.
 Cutis non est praeipuum tactus instrumentum.
 Vnus tantum est spiritus in corpore, non tres.
 Caro non est pars corporis.
 Vrina est excrementum prima coctionis.
 Pituita vitrea in venis reperitur.
 Lien non tantum excrementa suscipit, sed & sanguinem ex se gignit.
 Sex sunt facultates nutritici in seruientes.
 Vomitus est naturalis.
 Aliud est calefacere ut nutrimentum, aliud ut tegumentum, aliud ut medicamentum.
 Datur morbus secundum naturam.
 Morbus omnis est in parte similari.
 Morbi materiales non fiunt ab humore vel vapore.
 Senes etsi actiones imperfecte obeant, non tamen recte egrotare dicuntur.
 Vteri gestatio est morbus.
 Causa conuulsionis est spiritus.
 Variola non fiunt à menstruo sanguine.

Datur febris pestilens sine peste.

Frigus extremorum post partum non est bonum signum.

Sal sitim sedat.

Sine cibo quaedam animalia viuere possunt, sed non sine alimento.

Maritima regiones ceteris sunt salubriores.

Post fructus horæos non magis iuuat vinum quàm aquam bibere.

Tabidis non sunt præscribenda ὄπρακόδραμα.

Morbus morbum sanat.

Tabes rectè aliquando phlebotomia ad animi deliquium curatur.

Tutius est in acutis sanguinem mittere quàm hirudines applicare.

Cacochymia non necessariò indicat purgationem.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Universitäts
München
Bibliothek

